

0020 A 231
6

Just:
III. C. 1.



2
DISPUTATIO HISTORICA,
DE
DILATIONE
BAPTISMI,

22

QUAM

Jehova largiter cooperante,
RECTORE MAGNIFICENTISSIMO,
SERENISSIMO AC EXCELSISSIMO PRINCIPE AC DOMINO,

DOMINO FRIDERICO
WILHELMO,

REGNI PRUSSIAE ET ELECTORA-
TUS BRANDENBURGICI HAEREDIS, &c. &c. &c
CONSENSU AMPLISSIMAE FACULTATIS PHILOSOPHICAE,
IN REGIA PRUSSORUM ACADEMIA,

PRÆSIDE

M. MICHAELE SCHREIBER,

Eloq. & Hist. P. P. Ord. Biblioth. Wallenrod.
Domino Patrono & Fautore statem Venerando,
publicè defendet

JOHANNES LUDOVICUS COLBIUS,

SS. Th. & Phil. Stud., Pobet. Pr.

IN AUDITORIO MAXIMO, H. S.
An. MDCCVI. ad d. 29 Octob.

REGIOMONTI, Typis GEORGIANIS.

VIRIS

Plurimum Reverendis, Clarissimis atq; Doctissimis,

DN. M. ARNOLDO BRÜNING,

Ecclesiae Pobetensis Pastori meritissimo,
Patrono Colendissimo.

DN. M. DIETER. OTTONI *Deublinger!*

Hollandensis Ecclesiae Diacono facundissimo,
Affini dilectissimo.

DN. JOHANNI FRIDERICO FOCK,

Ecclesiae Insterburgensis Diacono, ac Pastori cœtus
Lithvanici fidelissimo,
Avunculo suavissimo & Patrono ob innumera beneficia honoratissimo,

DN. DAVIDI DÜDERSTADT

Pobetensis Ecclesiae Diacono dignissimo,
Affini perquam dilecto,

NEC NON

VIRIS Spectatissimis atq; Honoratissimis,

DN. HEINRICO *Sabm!*

Civi atque Mercatori in Palzopoli florentissimo
Avunculo Amantissimo,

DN. JACOBO *Sabm!*

Civi iidem & Negotiatori inter Palzopolitanos conspicuo,

Disputationem hanc, in debitam observantia
testeram studiorumque suorum commen-
dationem

submitte offero

JOHANNES LUDOVICUS COLBIUS.

Generale Salomonis effatum, quod *omnia tempus babeat* & *unicuique rei suum sit tempus: tempus nascendi & moriendi*, Eccles. III. 2. à nonnullis quoque ad mysticam nativitatem, quâ nos pisciculi secundum *ixthov nostrum Jesum Christum nascimur*, ut loquitur Tertull. L. de Bapt. c. I. applicatum est, ita quidem, ut non omne tempus baptismo idoneum esse olim statuerint, & fortè hodiernum adhuc ita sentiant. Etsi enim mos infantes baptizandi jam ab initio nascentis Ecclesiæ obtinuerit, quicquid etiam in contrarium statuatur Walattidus Strabo L. de rebus Eccles. c. 26. nec non Ludovicus Vives in Annot. in c. XXVII. lib. I. Aug. de C. D. inventi tamen sunt benè multi, qui baptismum nonnihil differendum voluerunt, vel ipsi satis diu distulerunt; non iisdem omnes causis, ut hoc statuerent, moti, quemadmodum nec in spatio moræ definiendo conveniunt omnes.

§. II. Tertullianus etsi Pædobaptismum approbarit, ut patet ex Lib. de Anima c. 39. & 40. nihilominus in Lib. de Baptif. c. 10. pro conditione ac dispositione cujusque, dilationem baptismi utilem esse pronunciat: *Itaque pro cujusque persone conditione ac dispositione, etiam ætate, cunctatio baptismi utilior est: præcipuè tamen circa parvulos. Quid enim necesse est, si non tam necesse sponsores etiam periculo ingeri? qui & ipsi per mortalitatem destituere promissiones suas possunt, & proveniunt male indolis falli. Ait quidem Dominus: nolite illos prohibere ad me venire. Veniant ergò dum adolescent, veniant dum discunt, dum quò veniant, docentur: scient Christiani, dum Christum nosse potuerint. Quid festinat innocens ætas ad remissionem peccatorum: cautius agatur in secularibus, ut cui substantia terrena non creditur, divina credatur, norint petere salutem, ut petenti dedisse videatur. Quo loco, Sponsorum nomine, Patrini seu Susceptores designantur, qui jam istò ævò fuerunt in usu, eum in finem adhibiti, ut pro infirmis infantibus fide jubent & Satanæ renunciarent: ad eam igitur ætatem differi vult infantes, quâ, quid secū agatur in baptismo, intelligant, & ipsi munus sponsorum obire possint; quorum pro aliena fide, futura præsertim ætatis*

tantis erroribus, perfidiâque occasionibus, incitamentis, periculis denique obnoxia innocentissima promissio fit. Excusat Tertullianum cum Fanelio in Annot. ad h. l. Vossius in Disp. de Pædobaptismo Historica Th. XI., illum non simpliciter infantum baptismum improbasse, sed tantum ejus necessitatem extra periculum mortis negasse. Id quod volunt etiam illa verba: *Quid enim necesse est, si non tam necesse est &c.*

§. III. Eadem mens Gregorio Naz. sedet, qui, quò locò infantes, sicubi necessitas urgeat, omninò vult esse baptizandos, statim consulit, ut per triennium, aut aliquando brevius vel longius spatium suspendatur hoc regenerationis Sacramentum, usq; dum & mystici quiddam audire & respondere, & quamvis plenè & exactè omnia non intelligant, quadantenus tamen aliqua assequi possint infantes. Verba ejus Orat. XL. in S. Baptisma hæc sunt: *Quid de his dices, qui adhuc tenerâ etate sunt, nec aut damnum aut gratiam sentiant: an eos quoque baptizabimus? ita prorsus si quod periculum urgeat. Præstat enim absque sensu sanctificari, quam sine sigillo & initiatione abscedere. Atque hujus rei ratio nobis est circumciso, die octavâ peragi solita, qua baptismi figuram quodammodo gerebat, atq; iis, qui rationis adhuc expertes erant, offerebatur. Eodem quoque modò postquam unctio, que rebus sensu carentibus adhibita, primogenitis salutem afferebat. De reliquis ita sentio, ut triennio expectatò, aut aliquantò breviori vel longiori temporis spatio (nam tum & mystici quiddam audire & defendere possunt, etsi minus plenè & exactè intelligunt, imbuuntur tamen & informantur) ita demum per magni baptismi Sacramentum & animos & corpora sanctificent.* Fundamento huic superstruxerunt alii, qui Pædobaptismum ideò oppugnârunt ac inutilem esse dixerunt, eò quod infantes illorum, quæ cum ipsis in baptismo aguntur, penitus ignari sunt. Sec. XII. exorti sunt Petrobrusiani, à Petro Brusio, homine Gallo ita dicti, quorum hæc erant verba, uti refert Petrus Cluniacensis Epist. I. *Infantes licet à nobis baptizentur, quia tamen credere, obstante etate non possunt, nequaquam salvantur. Otiosum igitur & vanum est, quando eò tempore homines aquâ perfunditis, quo carnem quidem eorum à sordibus humano pro more abluere, sed animam à peccatis minimè mundare potestis.* Scripsit eodem Sec. adversus Catha-

Catharos, sui temporis hæreticos, Eckbertus, primum Presbyter, & Brumenfis Ecclesiæ Collegiata Colonienfis Diæcesis Canonicus, hinc Monachus Schonaugienfis. Hic Serm. 1. adversus eos expresse ait, quod docuerint baptismum parvulis nihil prodesse, eò quod per se ipsos, nec baptismum petere, nec fidem profiteri queant.

§. IV. Tempore Gregorii Nazianz. erant aliqui, quibus baptismum ad trigesimum ætatis annum differendum esse videbatur. Provocabant illi ad exemplum Salvatoris nostri, quem isthoc tempore baptizatum fuisse, ex Sacris constat. Objectionem proponit & diluit statim. Sic autem ille in Orat. cit. Dices, *Christus tricesimo anno baptizatur, idq̄, cum Deus esset: tu me baptismum urgere jubes? cum Deum dixisti, quæstio abs te soluta est: nam ille purgatio ipsamet erat, nec purgatione indigebat.* Multa alia sunt, quibus exemplum Christi huc non quadrare demonstrat, quæ exscribere omnia non attinet.

§. V. Alii, tametsi infantes non penitus à S. baptisterio arcerent, non tamen statim admittendos esse, censebant. Cyprianus Epist. 8. ad Fidum hanc ei tribuit sententiam, quòd infantes non ante octavum diem baptizare conveniat: *Quantum verò ad causam infantum pertinet, quos dixisti intra secundum vel tertium diem quò nati sunt, constitutos baptizari non oportere, & considerandam esse legem circumcisionis antiqua, ut intra octavum diem cum, qui natus est, baptizandum & sanctificandum non putares, longè aliud in Concilio nostro nobis visum est.* Deinde ad duas, à Fido adductas ratiunculas respondet easque diluit. Idem Indos Orientales quondam alià ex ratione statuissè, testatur Damianus à Goes, Lusitanus, in Confessione Indorum, in Tractat. de Legatione magni Indorum Imperatoris, Presbyteri Johannis ad Emanuelem Lusitanæ Regem, An, Dom, MDXIII., ubi refert, *infantes illorum (Indoram) septimà à partu luce, & sacri baptismatis aquà vini & simul Mosaitico ritu circumcidi, idque nullo, aut meriti aut ficiencia respectu, sed veteri tantum consuetudine à majoribus per manus tradita.* Abyssinos ad longius spatium distulissè baptismum, refert Zagazabo in Confessione sua apud Damianum à Goes in Lib. de fide & moribus Æthiopum: *Masculi baptizantur ad quadagesimum diem, mulieres verò ad octogesimum; nisi aliqua intervenerit aegritudo.*

ut opus sit festinatione. Conf. Ludolph. Histor. Æthiop. Lib. III. c. 6. n. 43. & 44.

§. VI. Moris quoque est Regibus & Principibus nonnullis, ut infantes suos recens natos non statim admoveant baptismo, sed ob apparatus splendidiorem adornandum, aut alias causas Politicas, actum baptismalem post aliquot sæpè annos peragendum curent. De Gunthramno, Gallia Rege, Gregorius Turonens. L. VIII. Hist. Francor. c. 9. hæc scribit: *Post hæc Rex Parisius venit, & coram omnibus loqui cepit, dicens: Germanus meus Chilpericus moriens dicitur filium reliquisse: cujus nutritores, matre deprecante petierunt, ut eum de sancto lavacro, in Dominici Natalis solennitate deberem excipere; & non venerunt: rogaverunt deinceps, ut ad S. Pascha baptizaretur: sed nec tunc allatus est infans: deprecati autem sunt tertio, ut ad Festivitatem S. Johannis exhiberetur; sed nec tunc venit.* De Ulladislao, Poloniae & Svecia Principe, Stanislaus à Kobierzyccko Kobierzicki in Historia ejus p. 7. scribit, quod *baptismus ejus, more Principibus usitato, ad breve tempus dilatus fuerit.* To. IV. Theatr. Europ. p. 975. Der Prince de Gvi-
enne hat im Eingang Januarii des 1642 Jahres seinen jungen Herrn / der albereit 6 Jahr complet alt gewesen / erst tauffen lassen. Modernus Francia Rex, Ludovicus XIV. An. 1638. die 5. Sept. natus est, ut habetur Tom. III. Theatr. Europ. p. 893. cujus verò ut & fratris minoris, An. 1640. d. 21. Sept. (ut refert Theatr. Europ. Tom. IV. p. 197.) in hanc lucem exclusi baptismus per aliquot annos prorogatus & iterum iterumque dilatus est. Quà de re T. IV. Theatr. Europ. p. 976. hæc memorantur: Von erlichen Monathen hero hat man von der Tauffe des Dauphins und seines Herrn Brudern in Franckreich geschriben und geredet / welche junge Herren auch erliche Jahr erreicher / als wir dann oben bey Franckreich angereget haben / und hat der Actus in der Fastnacht des 1643 Jahres gehalten werden sollen: Es ist aber darmit biß dato noch immer verblieben. Tandem insecutus est baptismus mense Aprili. Theatr. Europ. Tom. IV. p. 70. ad An. 1642. Desgleichen ward am 21 hujus (April) der junge Delphin zu Paris getaufft / welchem Se. Mayst. den Nahmen Louys geben lassen. Hodiernus Delphinus An. 1661. d. 1. Nov.

d. 1. Nov. natus, septimo etatis anno S. fonte ablatus est. Quā
de re in Libello von der Königen in Frankreich Leben/ Regie-
rung und Absterben p. 334. refertur: Den 14. 24. besagtes
Wertz-Monaths An. 1668. an einem Sonnabend ward des
Königl. Prinzen Tauff-Actus mit grosser Pracht und gewöhn-
lichen Ceremonien celebrirer und vollbracht. Et post pauca: der
Herzog von Vendosme sichrete den Prinzen Dauphin / der noch
nicht völlig das siebende Jahr hinter sich gelegt/ bey der rech-
ten Hand &c. Eidem tres hoc ordine filii nati sunt: Ludovicus
An. 1682. d. 6. Aug. Philippus An. 1683. d. 19. Dec. Carolus
An. 1686. d. 31. Aug. Quam filiorum trigam demum An. 1687.
in solennissimo actu baptizandam curavit. Theat. Europ. Tom. XIII.
p. 175. ad An. 1687. Sonnabends den 18 dieses Monaths (Ja-
nuarii) wurden die drey Prinzen des Dauphins/ als der Her-
zog von Burgund / von Anjou und der Berri in der Schloß-Ca-
pelle zu Versailles / von dem Bischoff zu Orleans / des Königes
Ober-Altmosen-Pfleger getauft/ und von der Hoff-Marschals-
lin / Madame de la Mothe, Aufzieherin oder Hoffmeisterin der
Königl. Kinder zur Tauffe gebracht/ und der erste so auff alle
vorgegebene Fragen antwortete/ Ludwig/ der andere Philipp/
und der dritte Carl genennet. Plura exempla in Libello, cujus
titulus: die Durchlauchtigste Häuser in Europa, p. 21. legun-
tur; Loys Elisabeth Mademoiselle de Charlois zu Versailles gebohr-
ten d. 22. Novemb. 1693. Loys Anna Mademoiselle de Sens
geb. zu Versailles im Junio 1695. Mademoiselle de Clermont,
geb. zu Paris d. 15. Octob. 1697. ward mit ihren 2. vorher-
gehenden Schwestern d. 24. Novemb. 1698. zu Versailles ge-
taufft: Sind Ludovici, Herzogs zu Bourbon und Loys Fran-
ciscae, Ludovici XIV. natürlichen Tochter von der Montespan,
Töchter. Et p. 57. Jacobus Ludovicus, Königl. Poln. Prinz/
Johannes III. gebohren zu Paris d. 2. Nov. 1667. getauft al-
da den 15. Maji 1668.

S. VII. Sed verò etiam inter adultos inventi sunt bene mul-
ti, qui tamen illis non moti fuerint rationibus, alios tamen præ-
textus, cur baptismi gratiam magis magisque, nonnunquam ad ex-
tremam

tremam usque necessitatem & ultimum vitæ hantum differrent. Ne-
 tarius jam grandævus & canitie venerabilis erat, quum à Diodoro,
 Episcopatu Constantinopolitano dignus judicaretur, ac ab Imperato-
 re Theodosio, ad dignitatem hanc promoveretur; quæ res multos
 in admirationem traxit: *Ignorabat autem Diodorus, neq; ausus fu-
 isset sciens nondum baptizato dare suffragium sacerdotii: sed ut con-
 sentaneum est, quia canus erat, putavit eum jam olim fuisse baptiza-
 tum,* prout refert Sozom. lib. VII. H. E. c. 8. Gregor. Naz. jam
 Athenis Rhetoricam fuerat professus, quum tricesimo anno, in ar-
 tium studiis exacto, divino baptisinate in patria sua tingeretur, uti
 refert Gregor. Presbyter in vita ejus. Augustinus, cum ineunte
 ætate à matre fideli in doctrina Christiana educaretur & subito in
 cardialgiam incidisset, ita ut moriturus putaretur, mater quidem
 festinabat initio, ut sacramentis salutaribus ablueretur, sed cura
 statim recreatus esset, postea id prætermisit. Narrat hoc ipse Hip-
 ponenfium Præsul lib. I. Confess. c. II. & morem non probat: *Vi-
 disti, Deus meus, quoniam custos meus jam eras, quò motu ani-
 mi & quâ fide baptismum Christi tui, Dei & Domini mei flagitavi
 à pietate matris meæ & matris omnium Ecclesia tua. Et conturba-
 ta mater carnis meæ, quoniam & sempiternam salutem meam cha-
 rius parturiebat corde castò in fide tua; jam curaret festinabunda,
 sacramentis salutaribus initiarer & abluerer, te Domine Jesu confi-
 rens in remissionem peccatorum, nisi statim recreatus essem. Dilata-
 itaq; est mundatio mea, quasi necesse esset, ut adhuc sordidarer, si
 viverem.* Similiter Constantinus M. gloriosissimæ memoriæ Imper-
 ator, de baptisimo non ante, quàm cum extrema instarent, cogi-
 tavit: quò tempore convocatis Nicomediæ Episcopis Eusebius lib.
 IV. de Vita Const. c. 62. commemorat ipsum primùm exposuisse
 institutum suum, quod licet in Jordanis profuente baptizari desi-
 derasset, nunc tamen prehenderet Deo aliter visum esse: petiisse
 igitur, & haud difficulter ab ipsis impetrasse, ut S. baptisinate tin-
 geretur. Eadem Socrates lib. I. H. E. c. 26. & Theodoret. lib. I.
 cap. 32. cum aliis tradiderunt. Eodem instituto filius ejus Con-
 stantius, nec non Theodosius, quum in morbum incidissent, bap-
 tisimum acceperunt; prout utrumque testatur Socrates de illo quidem
 lib. II. c. 37. de hoc lib. V. c. 6. Conf. Ambros. Oratio in obitum The-
 odosii

7
odofii Imp. Pluresque alii fuerunt, qui hōi, nisi imminente
ultimō mortis diluviō, arcam Ecclesiæ ingressi sunt, quos *Clinicos*,
eō quod ἐν τῇ κλίβῳ in lecto tingerentur, appellarunt; quā de re
videndus est Cyprianus Epist. 69. quæ est ad Magnum, filium su-
um. *Videō*, inquit Gregor. Nyss. in Orat. adversus eos, qui disse-
runt baptismum, *quando aliquis terre motus in mundo exortus fue-
rit, aut fames pestisve sevierit, aut irruptio facta sit inimicorum,*
*festinare omnes ad baptisterium, ne vacui gratia excedant ab homi-
nibus.* Hōc modō Basiliius M. Arinthæum, quem uxor ad fidem
Christianorum duxerat, in fine vitæ baptizatum memorat, Epist.
186. Quin aliqui, morte præventi, post fata sua baptizabantur, in-
ventis qui eorum loco se tingi patiebantur. De quibus Justell. in
Notis in Codicem Canonum Ecclesiæ univ. illa Pauli intelligenda
vult ex I. Cor. XV. 29. *τί ποιῶσιν οἱ βαπτίζοντες ὑπὲρ τῶν νε-
κρῶν, quid faciant ii, qui baptizantur pro mortuis?* Hunc morem
indicat Epiphanius de Cerinthianis loquens, Hæc. 28: *Ex traditione
res quadam ad nos devenit, quod quidam apud ipsos de vita dece-
serunt, morte præoccupati circa baptismum, alii verō pro ipsis in no-
men ipsorum baptizentur, ne, ubi resurrexerint, illi in resurrectione
panas dent, eō quod non acceperint baptismum.* Id etiam Marcioni-
tæ postea facilitarunt, exemplum fortē à Cerinthianis mutuati: sic
enim de illis Chrysostr. in Epist. I. Cor. c. XV. Hom. XL. *Postquam
Catechumenus quispiam apud eos excefferit, sub lecto mortui abscon-
so aliquo, qui vivit, accedant ad mortuum, & alloquantur & ro-
gant, velitne baptismum accipere: deinde illō nihil respondente, is
qui est absconsus inferius, pro illo dicit se velle baptizari: & sic eum
baptizant pro eo, qui exceffit.* Hujusmodi Marcionitarum baptismum
Vicarium vocat Tertull. lib. de Resurrect. carnis c. 48.

S. VIII. Quemadmodum verō vix ullus error ac hæresis in
Ecclesiâ serpere ac prodire cepit, quin specioso quodam ac probabili
rationum fundamento niteretur, prout observat Albaspin. lib. I. Ob-
servat. Eccles. Observ. IX. ita palliandæ huic oscitantæ suæ multi
multas conquisivere causas. Quidam audientes graviolem esse, post
baptismum, ad peccata prolapsium, infirmitati suæ metuentes, ne
penam aggravarent, à baptismum non nihil abstinerunt. Docent hoc
illa Chrysostr. Hom. I. in Act. *Cæterum pro his, quæ post baptismum com-
missa*

8
missa sunt, tantam damus penam, quasi & illa revocata sint, ac multo etiam graviolem. Jam enim non simplex peccatum est, sed duplex aut triplex. Quod autem his gravior pena debeat, audi quid dicat Paulus: qui spernit legem Moysi, sub duobus aut tribus rebus absq; misericordia, morte luit penas: quanto putatis graviores vindicta dignus censebitur, qui Filium Dei conculcarit, ac sanguinem testamenti immundum duxerit, ac Spiritui gratie contumeliam fecerit? Fortasse multos avertimus, ne nunc accipiant baptismum. Verum non propterea diximus hæc, sed ut qui jam acceperunt, perseverarent in multa sobrietate multaq; modestia. Et post aliqua: Quod si fides & hoc certe cognoscis, quid cunctaris? quid refugis? quid detrectas? vereor, inquit, ne peccem. Verum illud quod periculosius est non vereris, ne cum tantis sarcinis abeas illuc? Nec enim idem est, gratiam in medio positam non assequi: & quam jam aggressus sis ad honesta tendere, frustrari. Age, dic mihi, si quis sic tecum exoptulet, quam ob causam non accessisti? quam ob causam non perdidisti, quo cæperas? quid dices? nam illic fortasse habebis quod causeris, onus præceptorum ac difficultatem virtutis: at hic nihil istiusmodi: hic enim gratia est gratis largiens libertatem. Sed vereris ne pecces. Istud dicito post baptismum, nunc istum habeto metum, quo serves libertatem, quam accepisti, non ut non accipias tantum donum gratis oblatum. Nunc vero contra, ante baptismum cautus es ac circumspexus, post baptismum socors & incogitans. Gregor. Naz. in Orat. sæpius allegata, hæc aliquorum tergiversantium objectionem præoccupat atque sic dissolvit: Cum ad mutua hominum pacta firmanda Deus medius adhiberi soleat, quantum questu periculum est, ne sædem cum Deo ipso contracta persurgisse reperiamur, ac præter alia peccata, ipsius quoq; mendacii apud veritatis tribunal rei pomgamur? Et post pauca: Quantum lacrymarum vim impendemus, ut ea cum baptismi fonte exæquari possit? Quis autem nobis præstabit, fore, ut vite finis curationem expectet, ac non potius adhuc are alieno pressos atq; ignis illius ardore opus habentes, tribunal istud suscipiat.

§. IX. Enimvero non hæc nuda illorum, qui baptismum distulerunt, fuit persuasio, sed quæ nonnihil præsidii ex Constitutionibus Ecclesiasticis sibi quæsit. Ex illis enim constat, quàm dispar animad-

animadvertendi ratio in Catechumenos ac in Fideles fuerit. *Nemo unquam legerit Catechumenum eodem supplicio atq; baptizatos fuisse affectum, in vestibulo Ecclesiarum Catechumenos jacentes, flere, mœrere, lamentari, pratercuntium osculari genua, comploratione sua ac precum vi obfessari fideles, uti patrocinio suo ac interpositâ auctoritate veniam, quam ipsi Catechumeni peterent, conarentur exprimere; verba sunt Albaspinai lib. II. Observ. 2. Quodsi Catechumeni tempore Catechumenatus sui ea designarent, quæ hominem jus sanctæ civitatis ambientem dedecere, non acerba atque gravis poena illis fuit dictata, quemadmodum hanc nec ob peccata ante Catechumenatum subire: Sive quod subvereretur Ecclesia, ne intolerabili quôdam poenæ metu, de proposito fuscipiendæ religionis deturbarentur: aut verè sentiret, poenam omnem, quæ peccatis debebatur, baptismo remitti: sive quod Catechumenos omnino Christianæ Religionis institutis imbutos in veteri homine deliquisse, eaque propter omni lenitate tractandos censeret, ut loquitur Can. XLV. Concilii Eliberini. Nam Patres vocant illa peccata involuntaria, quæ verò post baptismum committuntur, voluntaria, quod qui in legis alicujus ignorantia versatur, non ei possit ejus violandæ aut perfringendæ voluntas assignari. Jam quidem nullum ignorantie prætextum tibi patrocinatur, quod Domino agnito præceptisq; ejus admissis; deniq; poenitentia delictorum functus, rursus se in delicta restituat. Ita in quantum ignorantia segregaris, in tantum contumacia adglutinaris; Tertull. de Poenit. c. 5.*

§. X. Sed fuit tamen Catechumenis, ob commissa in Catechumenatu peccata, poenitentia aliqua irrogata. Quæ, ut intelligatur quomodo comparata fuerit, tenendum aliquos in Catechumenatu fuisse gradus, antiquitusque non cursim, sed sensim factos esse Christianos, spatio ad id efficiendum circumscripto. Quidam, ut Justell. Not. in Cod. Canon. Eccles. univers. Can. 14. & Larroquan. L. III. Adversar. sacr. p. 421. generaliter dispefcunt Catechumenos in *Audientes & Competentes*, ita tamen ut sub his reliqui gradus contineri possint. Aliis rem distinctius proponere placet: quos inter, summe Venerand. Dnum. D. Joh. Andr. Schmidt, Abbat. Mariavall. SS. Theol. Doct. nec non Antiqq. SS. Prof. Ord. in Acad. Jul. Patro-num nostrum longè æstumatissimum veneramus, qui in Thefib. Mi-

scell. de Catechizatione §. 6. B. Gebhardum Mejer. lib. de tribus novellorum nascentis Ecclesiæ Christianorum initiamenti §. 97. fideliter secutus, sequentes Catechumenorum constituit ordines: 1. Qui ad religionem & doctrinam Christianam recipi desiderabant, appellati sunt *Proscentes*. 2. Ex his admissi capita elementaris doctrinæ primùm audiebant, & in fide se erudiri curabant, *Audientes*. 3. Qui ex his ad baptismum variâ disciplinâ præparabantur, *Catechumeni*. 4. Qui ad Exorcismos admittebantur, *Initiati*. 5. Qui post informationem baptismum petebant, *Competentes*. 6. Qui scrutinio factò, digni ad baptismum admitti judicabantur, *Electi*. 7. Recens baptizati, *Neophyti*, *Illuminati* ac *Quasmodogeniti*. 8. Post baptismum admissi ad S. Cœnam, *Iusti*, *Sancti*, *Fideles* appellabantur. Alii adhuc aliter rem proponunt.

§. XI. Pœnitentia igitur, quæ Catechumenis, ob illa, quæ in ipso Catechumenatu, peccata commiserant, indicta fuit diversa pro gradu diverſitate, ita ut si quis in ultimo vel penultimo gradu constitutus deliquisset, ad secundum aut tertium gradum, desultorio quodam modo, pro gravitate offensæ seu culpæ transferretur; quò pactò ipsius baptismus differebatur. Quod si ex orantibus, qui tertiam classem constituiebant, quis deliquisset, is vel diutius in illo ordine erat detinendus, vel ad Audientes relegandus. Qui ex Audientibus peccasset, ei tempus *ἐνγοδωρεως* protrahebatur. Qui in primo gradu deliquerant, ad alium non poterant ipsi gradum traheri, sed aliquanto amplius expectare hic cogebantur.

§. XII. Operæ pretium est aliquot veteris Ecclesiæ Canones hac super re audivisse. Concilii Eliberini Canon IV. talis est: *Flamines si fuerint Catechumeni, & se à sacrificiis abstinuerint, post triennii tempora placuit ad baptismum admitti debere.* Eiusdem Concilii Canon LXIX. ita se habet: *Catechumena, si per adulterium conceperit, & conceptum profocaverit, placuit eam in sine baptizari.* Canone LXXIII. sancitur: *Si Catechumenus delator fuerit, Christianosque seculari Magistratui prodiderit, vel eò nomine accusaverit, eum post quinquennii tempora ad baptismum esse admitendum.* Concil. Nicænum Can. XIV. ita edixit: *De Catechumenis lapsis placuit sanctæ & magnæ Synodo, ut ii tribus annis audientes tantum sint, postea orent cum Catechumenis, Sermonem hic esse de Catechumenis*

nis tertii ordinis, in peccatum tamen lapsis, facile ex verborum collatione patet, & clarè id indicat Zonaras, Canonem his verbis explicans: *Qui ob fidei amplectenda studium inter Catechumenos relati postea lapsi fuerint, eos statione h. e. ordine movendos esse, ac triennium inter Audientes exigere, sanctorum Patrum decreto cautum est. Eo claffo priorem ordinem repetere, locumq; cum Catechumenis orandi obtinere, haud prohibentur.*

§. XIII. Ex dictis constat, quàm lenis circa Catechumenos fuerit disciplina. At longè rigidior illa, quam fideles, publico cum scandalo lapsi, subire cogebantur, quibus venia non nisi longo & aspero luctu defunctis indulgebatur. Quoniam enim à mystico Christi corpore avulsi erant, nec amplius externis Ecclesiæ gaudebant privilegiis, non poterat sine grandi labore ac ærumna, eorum, in pristinum gratiæ statum, restitutio fieri. Ad agnitionem initiò ducebantur, quàm è vestigio serius dolor & peccati detestatio sequebatur, non solùm verbis, sed & gestibus externis, gemitibus, suspiriis, lacrymis, planctibus, tussione pectoris, viliori cilicii vestitu, aliisque modis prodenda. Quinque autem gradus observandi sunt, stationes & loca poenitentibus obeunda, antequam ad perfectam communionem reciperentur, uti constat ex Gregor. Neo Casarææ Archiepiscopo in Epist. Canon. Canone XI. Casaub. Exerc. XVI. ad Annal. Baron. n. XLIII. & aliis. *Primus gradus vocatur ἀκούσις, Praesetius, cum quis, admissio peccato, extra Ecclesiam stans, cum luctu & lacrymis eos, qui ingrediuntur, orat, ut pro se misericordiam Dei elicerent, ut loquitur Justellus in Not. ad Codicem Canon. & quidem ad Canon. 36. qui est Concilii Ancyran. XVI. Secundus ἀποκασις, quæ, definiente Gregoriò M. erat *intra portam, ubi stare eum oportebat, qui peccaverat, usq; ad Catechumenos, deinde egredi. Tertius ὑποκασις, Humiliatio seu submissio erat. Quartus ὀρθόσις, statio, quando cum reliquis fidelibus orabant, & omnia communia habebant poenitentes, solò jure oblationum & sumendæ Eucharistiæ exceptò.**

§. XIV. Notandum quod varia in singulis poenitiæ locis fuerint tempora, nunc productiora, nunc contractiora, pro delictorum diversitate. Et quidem plures annos sæpius in externa hac poenitentia fuisse transigendos, ex Basilii M. Epist. Canon. ad Am-

philochium apparet. Adeò intensus pœnitentiæ rigor fuit, ut eâ probè nota, per totam vitam fuerit agenda, nec homo, nisi sub exitum vitæ, pacem consequi potuerit. Quod testatur Concilii Eliberini Canon III. Quosdam, utur ad pœnitentiam admissos, ne in vitæ quidem fine communioni fuisse restitutos, testatur S. Cyprianus Epist. LV. quæ est ad Antonianum.

§. XV. Qui quatuor publicæ pœnitentiæ gradus debitâ ratione percurrerat, publicam pacem consequeretur & Ecclesiæ communioni restituebatur. Pœnitentia semel ritè suscepta non debebat iterari, sed per omnem ætatem unica tantùm erat. Siquidem qui post illam ad vomitum aut volutabrum revertebantur, hi sicuti Ecclesiæ pacem, imò Dei misericordiam iudicati sunt ludibrio habuisse, ita ulteriori misericordiâ, ab Ecclesia indigni sunt iudicati, nec iterum ad Eucharistiâ, interdum, ne in fine vitæ quidem, admitti, sed sibi relictis, an forte Deum pœnitentiâ internâ, fide in meritum Christi, & piis precibus flectere possent, ut in spem gratiæ à Deo solo impetrandæ erigerentur. Hinc Tertull. lib. de Pœnitent. c. IX. pœnitentiam quæ post susceptum baptismum peragitur & propterea *secunda* dicitur, *unam* vocat. Et præced. c. VII. eam dicit esse *ultimam spem*. Ambros. lib. II. de Pœnit. cap. X. *Sicut unum baptismum, ita una pœnitentia, quæ tamen publicè agitur*. Quin Novatianus Sec. III, exorti docuerunt, Ecclesiæ aut ministris ejus non competere jus vel potestatem lapsos, potissimum apostatas à peccato *ἄποστασίας* absolvendi: de quibus vid. Socrat. lib. VII. c. 7. lib. IV. c. 22, Sozom. lib. I. c. 21. & Ambros. lib. I. de pœnit. c. 2.

§. XVI. Rigor hic in lapsos post baptismum non poterat non multos retrahere à baptismo, qui nimirum idè eundem detulerunt, ne fors peccatis suis inquinarent, indeque majori se reatu commacularent. Docet hoc perspicuè Cl. Rechenbergius in Summar. Hist. Eccles. sect. II. c. 3. §. 13. ubi de Novatianis loquitur: *Hæc causa fuit, cur multi Catechumeni baptismum differrent, ne ut Aug. L. I. Confess. c. II. loquitur, major & periculosior in sordibus delictorum reatus esset*. Et in Constitutionibus, quæ vulgò vocantur Apostolicæ, manifestum hujus rei est vestigium. Sic autem ibidem lib. VI. c. 15. sese habent verba: *Qui verò dicit baptizabor, cum ad finem vitæ pervenero, ne peccem & baptismum inquinem, is Deum ignorat*
 & sua

& sua natura est parum memor. Quemadmodum verò metus rigidioris disciplinae ex parte una, nonnullos à baptismo absterruit, ita ex altera, libertatis, seu potius licentiae impune peccandi persuasio multos hinc detinuit, qui *certi indubitate veniae delictorum, medium tempus interim furati & comestum sibi fecerunt derelinquendi,* ut loquitur Tertull. lib. de poenit. c. VI. Ulcus hoc tangit Basilius M. in Exhortat. ad Baptif. *Tantis ac talibus bonis miser potiore[m] ducis voluptatem? novi enim tuam cunctationem atq[ue] pigritiam, quamquam rebus dissimulare contendis. Ipsa enim facta, etsi taces, conclamant.* Mitece, inquis, *supercede: interim carne atatisq[ue] flore abutar, in luto voluptatum ambulabo, pejerabo, mentiar. Tunc deniq[ue] cum satur ero, malis desistam, baptismum suscipiam.* Item Greg. Naz. in Orat. saepius allegata: *Dicit quispiam, quid mihi ex ea re accesserit, si per baptismum praecipuus fuero atq[ue] omnes vite svavitates mihi ob ejusmodi celeritatem praeculsero, cum voluptatibus interim indulgere liceat, atq[ue] ita demum gratiam assequi? Neq[ue] enim qui priores in vinea laborant, meliore idcirco conditione fuerunt, equa nempe mercede postremis quoq[ue] persoluta.* Nec non Gregor. Nyss. l. c. *Timent baptismum, ut qui prohibeat voluptates, & abstinere faciat à nefariis delictis. Cum ergo dixerit, qui querit excusationes in peccatis, se timere, peripicuum est, cum non vereri aut cavere peccatum, sed velle se quam diuissimè versari in flagitiis.* Augustinus denique l. c. *Rogo te, Deus meus, vellem scire, si tu etiam velles, quò consilio dilatus sum, ne tunc baptizarer: utrum bono meo mihi, quasi laxata sint lora peccandi, annon laxata sunt? Unde ergo etiam nunc de aliis atq[ue] aliis sonat undiq[ue] in auribus, sine illum, faciat quod vult, nondum enim baptizatus est: & tamen in salutem corporis non dicimus, sine, vulneretur amplius, nondum enim sanatus est.* Utrum verò in censum horum hominum, qui ex carnali isto respectu baptismum distulerunt, jure relatus sit Constantinus M. ab Arnolde in *der unpartheischen Kirchens und Ketzer Historie* To. I. p. 341. hoc est de quo dubitamus.

S. XVII. Erant praeterea certa quadam tempora Baptismo destinata, extra quae, nisi urgente extremà necessitate, sacerdos ille actus non poterat exerceri. Festum *Paschatos & Pentecostes* huic negotio aptissimum videbatur. Tertull. Lib. de Baptif. c. 19.

Diem baptismo solenniorem Pascha praestat, cum & Passio Domini, in qua tingimur, adimpleta est: nec incongruenter quis ad figuram interpretabitur, quod, cum ultimum Pascha Dominus esset acturus, missis discipulis ad praedicandum, inuenietis, inquit, hominem aquam bajulantem, Pascha celebrandi locum de signo aqua ostendit. Exinde Pentecoste (i. e. ut loquitur c. III. Lib. de Coron. Milit., à die Pascha usque ad Pentecosten) ordinandis lavacris laissimum spatium est; quo & Domini resurrectio inter discipulos frequentata est, & gratia S. Spiritus dedicata & spes adventus Domini subostensa, quod tunc in caelos recuperato eo, Angeli ad Apostolos dixerunt, sic venturum, quemadmodum & in caelos conscendit utiq; in Pentecoste, (id est, tempore, quod Pascha & Pentecosten interjacet). Pro Festo Paschatos faciunt illa Basilii M. in Exhortat. ad Baptif. Ad baptismi salutem quodlibet tempus accommodum est, siue dies sit, siue nox, siue hora, siue quodcunque temporis momentum, etiam immicissimum. Opportunius tamen meridie censetur, quod magis proprie ad baptismum facit. Quod autem tempus baptismi magis cognatum est, quam Paschalis dies? quod ea lux resurrectionis monumentum quoddam existat. Baptismi namq; ad resurrectionem facultas quadam a rhaboque est. S. Chrysof. hunc morem à baptizandis religioso observari non sine dolore suo testatur, Hom. cit. in Act. Apost. Siricius Papa in Epistola ad Himerium Taraconensem Episcopum c. II. usum administrandi baptismi solennis extra Paschatis & Pentecostes tempora vocat improbabilem & emendam confusione, Tom. III. Concil. Edit. Paris. de An. 1644. p. 426. Leo I. Epist. IV. ad Episcopos per Siciliam constitutos, scribit eos, qui in die Epiphaniae baptizant, ab Apostolica institutionis consuetudine discrepare; Tom. VII. Conc. p. 63. It. Epist. LXXX. ad universos Episcopos per Campaniam, Samnium & Picenum constitutos reprehendit quosdam Episcopos, qui baptismum extra diem Paschatis & Pentecostes conferebant. Tom. eod. p. 166. Simile quid fancit Gelasius I. Epist. IX. ad Episcopos Lucaniae, To. Conc. X. p. 131. Gregorius II. To. Conc. XVII. p. 279. Concilium Gerundense Can. IV. To. X. p. 631. Concilium Matifconense II. Can. III. To. XIII. p. 77. Meldenfe, Can. XLVIII. To. XXI. p. 490. S. XVIII.

§. XVIII. Alibi aliis etiam diebus, solenni ritu baptismus conferri solet, velut Festo *Epiphaniæ*: fortè ex hoc fundamento, quoniam Christum hoc die, VI. scil. Januarii baptismum suscepisse multi crediderunt. Quà de re vid. Baron. ad An. Ch. 31. n. 18. qui allegat Eusebium, Hieronymum, & omnes Scriptores Ecclesiasticos illud affirmare ait, undè duntaxat Epiphaniò exceptò. Abyssi fini latissimum eòdem die, in memoriam baptismi Servatoris (quem illò tempore contigisse pro certo habent) Festum celebrant, referente Ludolphò Lib. III. Hist. Æthiop. c. 6. n. 43. nequaquam verò (quod obiter notandum) denuò se baptizant, quod affirmabat Zagazabo apud Damianum à Goes I. c. Gregorius Naz. Orat. XXXIX. in S. Lumina: *Tempus*, inquit, *regenerationis est; enascamur desuper: tempus restorationis; primum Adam deponamus; Christus illuminatur, simul fulgeamus; Christus baptizatur, descendamus cum eo, & unè cum eo ascendamus.* Et Orat. XL. *Excusas te*, inquit, *excusationes in peccatis obiens: diem Luminum expecto: Pascha mihi carius est: ad Pentecosten usq; pressò labor: cum Christo mihi melius est illuminari.* Et infra: *Non tantum te dimittes. quantum Christus, cui hodiè baptizaris.* Denique post pauca: *Confessionem in Patrem, Filium & Spiritum S. hodierno tibi committo, & cum illo te baptizabo.* In Gallia etiam Festum Paschatos huic negotio commodum visum est, ut patet ex baptismò Theodorici, apud Aimoinum Lib. III. Hist. Franc. c. 49. attamen quum inter Christianissimos primus Christianus, Clodovaus, sacris hinc initiaretur, Festum Nativitatis Domini: & huic actui destinatum fuit, teste Avito, Viennensi Episcopo, in Epistola ad hunc Regem data, apud Sirmondum To. I. Conc. Galliar. Conf. Chifletius in Disquisit. de Ampulla Remensi, p. m. 29. ubi contra Hincmarum Remensem, quòd baptismus ille in Paschate fuerit peractus, disputat. Idem in Anglia quondam observatum, quando Augustinus, hujus gentis Apostolus, Ferià Natalitiorum, decem millia Anglorum baptizavit, quod relationi Gregorii M. Lib. VII. Epist. 30. Indiæ, I. debemus.

§. XIX. Pervagata itaque & passim in Ecclesia recepta fuit consuetudo, ut extra necessitatis casum solenni baptismò solenne tempus

tempus destinaretur. Quoniam tamen plurimi baptismi benefici-
um, tanquam injuriam interpretati, gratiam per naufragium ami-
serunt, sine baptismo decedentes, insuper plurima alia absurda hinc
oriebantur, rigorosa ista temporum observatio sensim abiit in de-
svetudinem. Sanè quod in Thessalia, diebus Festi Paschatos dun-
taxat baptizârunt, ob hanc causam omnes, paucis tantum exceptis,
absque baptismate mortuos esse, refert Socrates Lib. V. Hist. E. c.
21. Quod maturè observantes Ecclesiæ Doctores passim in cacœ-
thes illud invecti sunt. Chrysost. Hom. cit. I. in Act. *Ne quis
arbitretur intempestivum esse de hisce rebus sermonem, eò quod nunc
non est dies quadragesimus. Nam hoc ipsum est, quod urit animum
meum, in hujusmodi rebus observari tempus.* Multa præterea adhi-
bet argumenta, quibus hanc consvetudinem differendi baptismum
improbat, & nunc lubricitatem vitæ, nunc tempus mortis, utpote lu-
gubre tam læto actui, & qui mentem compositam requirat, mini-
mè idoneum esse demonstrat. *Si de rebus ad hanc vitam corpora-
lem pertinentibus statuere volenti, non permitterem Leges civiles or-
dinare, quoties testari volens non admodum constat animo, idque
quod de suis ipsius facultatibus præscripturus sit: quomodo qui de
regno cælorum docetur, deq; bonis illis ineffabilibus, poterit ad ple-
num omnia percipere frequenter & à morbo factus attonitus?* Et
post aliqua: *Oportet epulari, choros ducere, gaudere & coronari,
quoties alius iniuriatur. Ast ubi uxor egrotantis audierit hoc ordina-
rum esse à medico, veluti magnum aliquod malum acciderit, ita con-
sternatur ac plorat, singultus & ejulatus totam undique domum im-
plent, non aliter quam complorantur iudicum sententiâ condemnati,
quorum ad capitis supplicium adducuntur. Ille verò multò magis etiam
dolet, velut affectus contumelia. Quoniam enim nondum prepara-
tus est ad virtutem, cunctatur ac deirectat deinceps futura certami-
na.* Basilii M. Orat. citat. quæ est XIII. : *Per omnem inquit,
vitam consulas usque ad senectutem. Et quando Christianus eris?
Quando te nostrum esse cognoscemus? Et quando superiore hunc
diem prestolare, nunc iterum futurum expectas? vide ne lon-
giorem tibi vitam pollicendo spe decidas: nescis quid cra-
stina tibi sit advectura: ne tibi quæ tua non sunt, in tua putes
esse*

esse potestate. Similia Gregor. Nazianz., utut adultâ demum
 atate baptizatus, svâsit in Orat. cit. & Gregor. Nyss. peculiarem
 orationem adversus eos, qui baptismum differunt, scripsit Tom.
 II. Oper.

§. XX. Insequentibus temporibus magis magisque hæc con-
 suetudo impugnata & tandem abrogata est, svadente hoc ipsâ eti-
 am necessitate, quando fidelium multitudo satis jam aucta erat;
 quam causam fuisse scribit Rupertus Tuitiensis Lib. IV. de Divin.
 Offic. c. 18. quod Baptismi dilatio in desuetudinem abierit. Quin
 severis tandem Sanctionibus hinc inde cautum est, ut infantes in-
 tra definitum temporis spatium Sacris Christianorum initiarentur.
 Inter Leges Ecclesiasticas ab Ina, Rege Occiduorum Saxonum, in
 Anglia Sec. VII. latis, Titulus II. ita se habet: *Infans intra tri-
 ginta dies, postquam in lucem prodierit, baptizator: Id si non fi-
 at, ter denus solidis culpa pensator. Sin prius vitam cum morte
 commutârit, quam sacro tingatur baptismate, rebus suis omnibus
 multator;* To. XVII. Concil. p. 129. Et inter Canones sub Ed-
 gario Rege circa Sec. X. Canon XV. taliter sonat: *Docemus, ut
 Sacerdos quilibet baptismam administret, quam citò requisitus fue-
 rit: & ut per Parochiam suam quosq; moneat, ut infantes quot-
 libet in m XXXVII. noltes curent baptizari, & ut nullus ab Episco-
 po confirmari diu nimium decretârit;* To. XXV. Concil. p. 150.
 Baptismus mortuorum, ut nimirum illis, qui sine lavacro mystico,
 hinc discesserant, subveniretur, mature improbatu & abroga-
 tus est, scribente jam Tertulliano, quod *inutiliter pro mortuis bap-
 tizentur;* Lib. V. adv. Marcion. Carthaginense Concilium Can.
 XVIII. ita statuit: *Si quis Clericus ordinatur, debet admoneri, ut
 servet decreta & ut mortuorum corporibus eccharistia non detur neq;
 baptismus.* Et Can. XX. *Similiter placuit, ne eos, qui jam sunt
 mortui, baptizari feceris presbyterorum ignorantia;* apud Balsamon.
 in Can. Concilior. p. 627. & 629. qui addit verba, quæ sunt in
 textu Græco, *res hâc redeventuras, de jam mortuis intelligenda;*
*non de iis, qui animam agunt, cum hi potius debeant sanctorum
 mysteriorum vitæ sumere, & sacram baptismum, si non bap-
 tizati.* Sed & Clinicorum baptismus non omni exceptione major
 fuit

18
fuit habitus. Nihil quidem in ipsis, si accepto baptismō convalu-
issent, quicquam reprehendebatur, in Clerum tamen cooptari non
poterant; ut constat ex Can. XII. Concilii Neocæsar. *Si quis in
morbo constitutus, illuminatus & baptizatus fuerit, ad honorem
Presbyterii promoveri non potest.* Rationem addit Canon, quòd
ejus fides non sit ex proposito, sed ex necessitate atque ita non omninò
sponte, factus fuerit Christianus. Unde si Clinicus hujusmodi post
acceptum baptismum convaluerit, in confirmationem, *manus ei
fuit imponenda*, juxta Concil. Eliberin. Can. 39. Idem testatur
Cornelius Romanus Episcopus in Epistola ad Fabium Antiochenum
Scripta apud Eusebium Lib. VI. Hist. Eccl. c. 43. *minimè licuisse
quenquam in lecto propter morbum baptizatum,
in Clerum assumi.*

TANTUM!



154071

AB: 154071


ULB Halle 3
003 902 811




82

1078
Vb 17







2
DISPUTATIO HISTORICA,
DE
DILATIONE
BAPTISMI,

22
Q V A M
Jehova largiter cooperante,
RECTORE MAGNIFICENTISSIMO,
SERENISSIMO AC EXCELSISSIMO PRINCIPE AC DOMINO,
DOMINO FRIDERICO
WILHELMO,
REGNI PRUSSIAE ET ELECTORA-
TUS BRANDENBURGICI HAEREDE, &c. &c. &c
CONSENSU AMPLISSIMAE FACULTATIS PHILOSOPHICAE,
IN REGIA PRUSSORUM ACADEMIA,

P R A E S I D E
M. MICHAELE SCHREIBER,
Eloqv. & Histor. P. P. Ord. Biblioth. Wallenrod.
Domino Patrono & Fautore acatem Venerando,
publicè defendet
JOHANNES LUDOVICUS COLBIUS,
SS. Th. & Phil. Stud., Pobet. Pr.

IN AUDITORIO MAXIMO, H. S.
An. MDCCVI. ad d. 29 Octob.

REGIOMONTI, Typis GEORGIANIS.